



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An si Mulier neget, si in Matrimonium consensisse, sit ei fides habenda: vel si probare velit, se per metum gravem sibi illatum consensisse, sit audienda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ris causa cessaverit, & omnino spontanea haberi possit talis cohabitatio &c.

§. IV.

An si Mulier neget, se in Matrimonium consensisse, sit ei fides habenda: vel si probare velit, se per metum gravem sibi illatum consensisse, sit audienda?

AD utramque hanc quæstionem respondet Pontifex in *s. Consultationi 28. h. t.* quod nempe mulier audiri non debeat, negans, quod in matrimonium consenserit, si legitimis testibus contrarium probet sponsus, neque enim simplex illius assertio, ad multas fraudes cavendas, prævalere debet legitimis probationibus. Quod si tamen ante carnalem copulam, vel immediatè post illam acceptà quidem benedictione, à sponsis tamen aufugiant tales mulieres, dicentes se nunquam in Matrimonium consensisse, sed metum sibi illatum fuisse, vult Pontifex, non negandam illis audientiam, sed diligenter inquirendum (ab Episcopo scilicet) qualis metus ille fuerit, & si probatum fuerit, quod metus fuerit (respective saltem) gravis, audiendis illas esse, & à viris separandas, & declarandum irritum esse Matrimonium.

§. V.

Virum Matrimonium ex metu levi initium sit nullum, & an contractum ex metu reverentiali?

AD priorem quæstionem ut respondeatur, probabilius est, non esse

taliter ex metu levi contractum Matrimonium invalidum, sed validum, prout probatur à contrario sensu ex *c. Veniens 15, & c. Consultationi 28. h. t.* & habetur etiam ex *L. Nectimorem 7. §. 1. ff. de eo, quod met. caus.* & probatur etiam, cavendarum licitium multitudo, quæ merito timeri posset, si metui etiam huic nullitas, aut rescissio contractus concederetur.

Ad posteriorem quæstionem satis jam videtur responsum in *cit. Tit. 40. Lib. 1. Decretal. §. 1.* quem vide.

§. VI.

An Matrimonium gravi metu initium confirmetur per juramentum adjectum, vel per copulam subsequentem?

QUOD per adjectionem juramenti non fiat validum, si gravi metu iniuste incusso &c. contractum fuit, ex *c. 2. De eo qui duxit, patet, & defectus spontanei consensûs probat, quem juramentum adjectum, eodem modo extortum, non supplet, quod juxta naturam actûs, cui adjicitur, explicandum est, c. Quæmadmodum de jurejurand. Quod autem per copulam subsequentem non ratificetur, aut validum fiat, si gravi metu hoc extorqueatur, idem defectus liberi consensûs probat, quem taliter extorta copula non supplet, & quod eadem incommoda sequantur ex matrimonio tali metu extorto, & consummato, quæ sequuntur ex matrimonio gravi metu extorto, & non consummato, si ergo hoc juxta Ecclesiæ constitutionem,*

Ooo o 2

tionem,